

Procura ad litem

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Procura ad litem

1346-04-03

In nomine Domini amen. Anno incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo quadragesimo sexto, die tertio mensis aprilis, quarte decime indictionis, apud Sinopolum. Regnante serenissima domina, domina nostra regina Ioanna, Dei gratia inclita Hierusalem et Sicilie regina, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Provincie et Forcalquerii, ac Pedemontis comitissa, regnorum suorum anno quarto, feliciter, amen.

Nos Franciscus Zarbus, annalis iudex terre Sinopolis, Iordanus de Lazaro de Seminaria, publicus ubilibet per totum Ducatum Calabrie regia auctoritate notarius, et testes subscripti ad hoc vocati specialiter et rogati, presenti scripto publico notum facimus et testamur quod, nobis accersitis coram magnifica domina Aloisia de Ervilla de Barulo, consorte viri magnifici domini Guglielmi Ruffi de Calabria, comitis Sinopolis, ipsa domina Aloisia, more nobilium et iure romano vivens, confisa plenarie ab experta de fide, predicta et legalitate nobilis et circumscripti viri iudicis Leonis Giracii de Prancatio, necnon notarii Hugulini de Bononia et notarii Petri Canavi de Rhegio, quod videlicet iudicem Leonem in suum advocatum, et predictos notarios Hugulini et Petrum in suos procuratores generales, legitimos actores, defensores et ministros speciales licet absentes tanquam presentes, quemlibet ipsorum iuramentum, ita quod occupantis conditio melior non existat, sed quod unus eorum inceperit alter eorum prosequi, a medio et fine valeat alterius ipsorum procuratorum presentia vel absentia non obstante, sponte fecit, constituit et fiducialiter ordinavit. In omnibus et singulis causis, litibus et questionibus suis civilibus et criminalibus, in quibus procuratores

intervenire possunt, presentibus, pendentibus, preteritis et futuris, appellationibus etiam et nullitatibus motis seu movendis, tam per ipsam constituentem quam per alias personas contra eandem, coram viro magnifico domino Lugano de Mardellis de Ioanna milite, reginali cambellano, consiliario et familiari ac generali capitaneo et iustitiario Calabrie, eiusque curia, ac quibuscumque aliis curiis et iudicibus ecclesiasticis vel secularibus, ordinariis, delegatis et delegandis, datis vel dandis, de quibuscumque bonis mobilibus et stabilibus, seu causis et rebus quibuscumque. Et specialiter ad agendum seu accusandum dominum Lambertum Malarbi, dominum casalis Casoliti, et Philippum de Salo de certa quantitate animalium et aliarum rerum quarumcumque, ipsos etiam dominum Lambertum et Philippum de premissis vel ipsorum aliquo, prout dictis procuratoribus vel alteri eorundem videbitur, accusandi seu denunciandi, et accusationes seu denunciationes offerendi exinde contra ipsos dominos Lambertum et Philippum in dicta curia prefati domini generalis capitanei, ac in quacumque alia curia. Dans et concedens dicta constituens dictis advocato et procuratoribus suis, ac cuilibet ipsorum procuratorum, iurium plenam licentiam et liberam potestatem ac specialem mandatum, predicta omnia et singula, pendentia et emergentia ac nexa ex eis, libere cum omni expeditione faciendi et in causis ipsis praedictis pro ea componendi, agendi et accusandi, tam contra ipsos dominos Lambertum et Philippum quam alias personas quascumque, de causis et rebus criminalibus et civilibus et aliis quibuscumque conveniendi et reconveniendi, defendendi et excusandi eandem. Libellum seu libellos et petitiones dandi seu recipiendi, litem seu lites

contestandi, iuramentum calumnie et cuiuslibet alterius generis iuramenti in anima ipsius constituentis prestandi, articulos recipiendi, exceptiones quascumque offerendi, terminos et dilationes petendi et recipiendi, testes, instrumenta et privilegia, probationes quascumque et alias scripturas ac monumenta producendi, per partem adversam in contrarium prolata reprobandi, iudices eligendi, suspectos recusandi, de loco convenienti suspicionis omnes allegandi, crimina et de factis opponendi, testium adverse partis iuramenta videndi et protestandi, exceptionem infirmitatis, absentie et quamlibet aliam opponendi, requirendi, protestandi, recipiendi et allegandi. Procuratorem unum vel plures tam ante litem contestatam quam post, loco eorum et omnium ipsorum substituendi, vel eis iurandi de calumnia potestatem tradendi, eum vel eos revocandi ante iudicium et causas reassumendi quoties et quando dictis procuratoribus vel ipsorum alteri videbitur expedire; necnon rubricandi, publicandi, disputandi, renunciandi et concludendi, sententiam seu sententias tam interlocutorias quam diffinitivas audiendi, et ab ea seu ab eis et quolibet alio gravamine appellandi et appellationes quaslibet proseguendi, debita declarandi, ac pro ipsis debitis sacramenta praestandi, beneficium restitutionis in integrum semel, bis et ter, principaliter et incidenter, et quoties opus fuerit petendi et obtinendi. Et generaliter omnia et singula faciendi quae in predictis et quolibet praedictorum necessaria fuerint ac etiam opportuna, et que quilibet veri et legitimi procuratores ad hec potestatem habentes facere possent et deberent, et quae ipsa constituens facere posset et deberet, si premissis omnibus personaliter interesset, etiam si talia facerent que mandatum exigent speciale. Propterea

fideiubens, promittens et obligans se dicta constituens sub hypotheca et obligatione omnium bonorum suorum pro predictis procuratoribus suis et quolibet ipsorum, ac substituendis seu substituendis ab eis vel ipsorum altero, de rato in iudicio sisti et iudicatum solvi ac rato habendo, cum omnibus suis clausulis oppositionis, me predicto notario tanquam persone publice promissionem et obligationem predictas ac omnia alia et singula supradicta a dicta constituyente recipienti, a persona omnium quorum interest et quorum poterit interesse, sollemniter et legitime stipulanti.

Ut autem in praedictis omnibus plena fides indubia valeat adhiberi, factum est exinde praesens publicum procuratorium instrumentum, scriptum per manus mei prefati notarii publici, nostrumque, qui supra iudicis, notarii et testium subscriptorum signis et subscriptionibus roboratum. Scriptum anno, die, mense, loco et indictione praemissis. † Ego Franciscus Zarbus, qui supra iudex terre Sinopolis, testor. † Ego Nicolaus de notario Rogerio me subscripsi. † Ego Michael Tustus de Rhegio, testis, me subscripsi. † Ego Carnevale de Bononia, testis, subscripsi. † Ego Dominicus Thomasius de Fulgino, canonicus oppidensis, testor. † Ego qui supra Iordanus de Lazaro de Seminaria, publicus ubilibet per totum Ducatum Calabrie regia auctoritate notarius, praesens scriptum publicum scripsi et me subscripsi.